

1604

ineunt. Arrepto in Lybiā itinere, improviso adorti, igniumque ejaculatione, quorum instructi copia ad id patrandum accesserant, incendunt, piraticamque ea æstate exercendi Lybicis prædonibus facultatem eripiunt. In Pannonia quoque Strigoniū septembri mense, irrito exitu, Turcæ oppugnant. At Pesto deditio[n]e recepta, audientiores facti, Strigoniū rursus corona cingunt. Georgius Baſtius, vices Cæſaris obtinens, Mansfeltius, atque alii Germaniæ proceres, qua mœnibus fortiter dimicant, qua in hostes acriter irrumunt. Duo circiter peditum millia, equites quingenti in Turcarum caſtra penetrant, ferrea glandium procella cuncta miscent turbantque, strage omnia implent, septingen[tos] cædunt; atque ex suis centum tantummodo desideratis, exuvias hostium reportant: commeatusque inopia, prætorianis impellentibus, Serdar Baſſa Strigoniō abscedit. Neque felicius in Dacia a Turcis pugnat[u]m. Betle[m]um Gaborem, provinciam iis subiecere tentantem, atque ad amnem Themесum caſtrametantem, incautum Cæſareani profligant, concidunt. Submissos a Temesvariī Baſſa, de suorum internecione per transfugas admonito, auxiliares, usque Temesvarium insectantur. Illi ſublicium pontem a præfecto demitti, ut instanti eripiantur neci, summis vocibus inclamat. Is, ne promiscue irruat hostis, veritus, ex pinnis ac ſpeculis stragem suorum despectat: præda ingens, duodecim militaria signa capta. Ita eo anno in Pannonia ac Dacia bellum gerebatur.

*Africanæ
triremes ab
Hetruscis
incenſa.*

*Turca-
rum ad
Strigoniū
cædes.*

*Betle[m]
Gabor a
Cæſareanis
profligatus.*

In Italia ſuspicionibus ac diſſidiis laboratum. Cum enim Fuentanus Rhæticum foedus cum Venetiſ aequo animo pati non posset, tum minis, tum pollicitis ad ſe eam gentem allicere nitebatur. Itaque commercia cum Inſubribus interdixerat, annonam commeatusque præcluserat, arcem prope Vulturenam vallem, proprio indito nomine, excitandam curabat. Altera ex parte ad ſocietatem ineundam incitabat: in eam ſi coirent, & aditus patefacturum, & annonam præſtaturum, & arcem demoliturum. Illius leges duobus præſertim capitibus (uti diximus) continebantur: altero, ut transitum per eorum fines potentibus Hispanis darent; altero, ne, inſciis atque inconsultis illis, aliorum copiis permitterent. Atque ut

*Arx a
Fuentano
comite prope
Vulturenam
vallem in-
ſtruēta.*

rudem